

ХРОНІКА НАУКОВОГО ЖИТТЯ



Стаття та будь-який пов'язаний з нею опублікований матеріал поширюється за ліцензією Creative Commons Attribution License (CC BY 4.0).
The article and any related published material are licensed under the Creative Commons Attribution License (CC BY 4.0).

УДК 378.094+372.881.1:811.124'02-06

DOI: <https://doi.org/10.17721/1728-2659.2026.39.17>

Олександр ЛЕВКО, канд. філол. наук, доц.

ORCID ID: 0000-0002-1259-0410

e-mail: o.levko@knu.ua

Київський національний університет імені Тараса Шевченка, Київ, Україна

**"ΟΙΟΝ ΕΚ ΠΥΡΟΣ ΕΞΑΦΘΕΝ ΦΩΣ / QUASI LUMEN EX IGNE REFULGENS":
ORATIO SOLLEMNIS DE NOVO ANNO ACADEMICO
(ПРОМОВА З НАГОДИ ІНАВГУРАЦІЇ ЮВІЛЕЙНОГО НАВЧАЛЬНОГО РОКУ
В ACCADEMIA VIVARIUM NOVUM 22 ЛИСТОПАДА 2025 РОКУ)**

Aloisi, Ignati, Gerarde, Eusebi, Iuliane, clarissimi professores ac omnes sodales Academiae Vivarii Novi! Magistri, subdoctores, veterani, discipuli, fautores fautricesque Vivae Latinitatis atque omnes amici qui hodie adestis! Salvere vos iubeo, carissimi mei. Primum gratias vobis ago maximas pro invitatione tam honorifica. De inauguratione anni academici et anniversario festo die Academiae Vestrae vobis gratulor et omnia bona precor.

Mihi inter vos versari semper iucundum est, etiam per instrumenta electronica. Nec caeam hodie vobiscum bibere nec apud prandium de rebus diversis, sive cotidianis, sive academicis, Latine aut Graece colloqui nec carmina vobiscum cantare possum sed profecto animus meus, qui ad Academiam semper properat, inter vos nunc stat et, ut sic dicam, dextram vobis porrigit atque salutem pacemque optat.

Hodie mihi est optima occasio societatis inter Universitatem Kioviensem et Academiam Vivarii Novi renovandae ac firmandae. Haec amicitia nostra, quae ex studio linguarum atque humanitatis orta est, exemplum verae cooperationis esse mihi videtur inter instituta nostra, quae, etsi diversa, eodem tamen animo coniuncta sunt. Nam societas nostra, quae ex communi studio Latinitatis ac veteris sapientiae nata est, non modo disciplinam linguarum, sed etiam amicitias inter nationes alit atque auget.

Discipulorum vicissitudines, quas praeteritis annis instituiimus, fructus iam praeclaros dederunt. Nostri iuvenes, qui in Universitate Kioviensi linguis classicis litterisque antiquis studere coeperant, in Academia Vivarii Novi easdem disciplinas colere perrexerunt atque valde provectiores facti sunt, nonnulli etiam nunc veterani et subdoctores sunt ut Constantinus, Ioannes aliique.

Iuvenes nostri, cursum academicum in Vivario Novo incipientes, non modo linguis classicis optime loquuntur, scribunt, canunt, auctores classicos et mediaevales legunt, sed etiam novum orbem academicum, ut ita dicam, novum modum vivendi experiuntur atque amicitias trans fines conciliant.

Puellae quoque nostrae sive scholis interretialibus sive scholis aestivis intersunt atque valde in linguis litterisque

classicis proficiunt. Itaque nuper iam quinque iuvenes et quattuor puellae ex Universitate Kioviensi – per rete aut coram – apud Academiam studebant.

Certo equidem anno MMXXIV cum Gerardo scholis interretialibus linguae Graecae studebam et hoc anno cum Ignatio, Eusebio aliisque magistris scholis aestivis de Lingua Latina interfui quas quotannis in villa vestra amoenissima celebratis. Ibi enim congregantur homines diversarum gentium, sed unius linguae studiis devincti; ibi nova studia, nova consilia, nova vincula inter iuvenes oriuntur; ibi denique Latinitas ipsa, quasi renata, vigorem suum ostendit. De scholis aestivis autem quid aliud dicam? Omnes scimus eas non solum esse scholas, sed paene convivium quoddam humanitatis. Gratias plurimas vobis pro his occasionibus ac facultatibus agimus, laetissime enim de illo pulcherrimo tempore recordamur.

Nos quoque in Universitate Kioviensi summo cum honore commemoramus doctrinam classicam et humanitatem, quibus Academia Vestra ab ipsis initiis floruit. Speramus igitur hanc communionem studiorum et societatem nostram latius ac firmiter aucturas esse: per cursus communes, per conventus, per novos discipulorum comiteatus, per scholas interretiales pariterque aestivas.

Vobis omnibus gratias agimus pro benevolentia, pro constantia, pro studio erga nos et discipulos nostros. Hoc novo anno academico incipiente, Academiae vestrae vobisque omnia prospera, felicia, fausta ex animo precamur.

Floreat Academia Vivarii Novi, crescat laus vestra, permaneat inter nos coniunctio non solum studiorum sed etiam animorum. "Vivat Academia, vivant professores, vivat membrum quodlibet, vivant membra quaelibet, semper sint in flore!"

Quam plurimum valete et in hoc novo ac sollemni cursu academico felicissime procedite.

Джерела фінансування: Фінансування забезпечено Київським національним університетом імені Тараса Шевченка.

Отримано редакцією журналу / Received: 15.01.26

Схвалено до друку / Accepted: 27.02.26

Опубліковано / Published: 21.04.26

Oleksandr LEVKO, PhD (Philol.), Assoc. Prof.

ORCID ID: 0000-0002-1259-0410

e-mail: o.levko@knu.ua

Taras Shevchenko National University of Kyiv, Kyiv, Ukraine

**"ΟΙΟΝ ΕΚ ΠΥΡΟΣ ΕΞΑΦΘΕΝ ΦΩΣ / QUASI LUMEN EX IGNE REFULGENS":
ORATIO SOLLEMNIS DE NOVO ANNO ACADEMICO
SPEECH ON THE OCCASION OF THE ANNIVERSARY ACADEMIC YEAR INAUGURATION
AT ACCADEMIA VIVARIUM NOVUM ON NOVEMBER 22, 2025**

Автор заявляє про відсутність конфлікту інтересів. Спонсори не брали участі в розробленні дослідження; у зборі, аналізі чи інтерпретації даних; у написанні рукопису; в рішенні про публікацію результатів.

The author declares no conflicts of interest. The funders had no role in the design of the study; in the collection, analyses or interpretation of data; in the writing of the manuscript; in the decision to publish the results.

© Левко Олександр, 2026